

Q. B. V.

DISSESTITO GRADUALIS
DE

PRECIBUS
ARMATIS,

Quam

Consensu ampl. Senat. Phil. in illust. acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

VIRO CL.

ALGOTHO A.
SCARIN,

Hist. & phil. civ. Prof. ord.

ad publicum honorum examen modeste deferit

GABRIEL TÅLPO

Choralis Aboënsis.

ad diem III. Maii, Anni MDCCLXV.

ABOË, Excid. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO,
reverendissimo Patri ac Domino

D. JONÆ FAHLENIO.

S. Theologie DOCTORI consummatissimo, dæceles
os Aboënsis EPISCOPO eminentissimo, Academiæ i-
bidem PRO-CANCELLARIO magnificentissimo, Vene-
randi Consistorii ecclesi. PRÆSIDI gravissimo, Scho-
larum per totam dæcesin EPHORO accuratissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

PRESIDE

MIGO CT

А ОНТОГДА

Precibus Armatis ad limina Tua, reverendissime
PRÆSUL, summa animi devotione propero, non ut se-
merè ad gratiae Tuæ aram gradum festinare velle videar;
sed ut coram facie Tuâ projecte ille, contra malevo-
lorum insultus, asylum indeniant desideratissimum; immo suo
nitore desitutae illam ex TUO reverendissimo Nominе mu-
tuentur lucem, quam ex se, ipse fibi polliceri nequeant.
Et quanquam tenuitatis conscientia, iure meritoque ab hocce
deterreri deberemus ahsus propensissima tamen illa gratia Tua,
eindemq; non minor suavitas, qua radios suos, rutilantis in-

star sideris undique spargit, mihi animum addit omnemque
metum expellit, ut de audacie venia nullus certe ad dubitem.
Hac mihi spem facit certissimam, futurum, ut chartaceum
hocce munus in perpetue pietatis & obsequiis mei fidem,
qua affoles. serena suscepturnis sis fronte. Hac ita me cri-
git, ut submisse implorare atque obtestari audeam, digneris
reverendissime PRÆSUL, & fortunatusque meus, postquam
in eorum memet nuperime regulisti numerum, quos
in vicinam DOMINI, Tuo sub moderamine misere
voluisti, in posterum perinde commendatos habere, atque
huc usque eadem cura cordique Tibi fuerunt. Mearum,
quoad vixero, erit partium, ad DEUM calidissima fundere
vota, ut Tuum in ecclesia lumen diu superstes, Teque
fospitem ac in columem in longos mortalitatis terminos esse
inbeat; quo habeat Finlandia EPISCOPUM optimum: habeant
Camere nostre PRO-CANCELLARIUM exoptatissimum: ha-
beat denique Familie Tua nobilissima fulcrum & solatum
dulcissimum!

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Cliens aerotissimus
GABRIEL TALPO

VIRO amplissimo atque celeberrimo
**Dn. ALGOTHO A
SCARIN,**

Hist. & Philol. Civil. Profess. Reg. & Ord. Consist.
Acad. *Adseffori* æquissimo, MÆCENATI & PATRONO ut
certissimo: ita nullo non honoris & observantie
cultu æternum proseqvendo.

VIRO maxime reverendo atque celeberrimo
**Dn. JOHANNI
BROWALLIO,**

S. S. Theologjæ Doctori & Scient. Nat. Profess.
Reg. & ordin. Ecclesiarum, qvæ DEO in Rændæmæ-
ki & Paatis colliguntur PASTORI vigilansissimo, u-
triusqve Consistorii *Adseffori* æquissimo.

Mæcenati Optimo.

GABRIELI TALPO

VIRO maxime reverendo atque celeberrimo

DN. JOHANNI
WALLENIO,

S. S. Theol. Doct. & Prof. Reg. & Ord. ANTISTITI eccles. Fenn. Aboëns. gravissimo, utriusque Consistorii Adseffori æquissimo, ut NUTRITO benignissimo, ita MÆCENATI summa animi veneratione ad cineres usque colendo.

VIRO maxime reverendo atque amplissimo.

DN. GREGORIO
STEEENMAN,

Ling. Orient. Profess. Reg. & ordin. PASTORI in Pæmar meritissimo, ante paucos annos itidem NUTRITO indulgentissimo, nunc vero MÆCENATI omni obsequi genere æstatem devenerando,

GABRIEL TALPO.

Q^{uo} diutius venerabunda mens mea, MÆCE.
NATES, in grates huic illas erumpendi
anjam quæsivit, eo latior hanc oblatam arripit, &
chartaceum, non nisi materia dignitate commen-
dabile munus hoc ipsum, VOBIS, qua-
par est reverentia, offert. Suscipiatis VOS modo
levisimum licet, certissimum tamen mea in merita
vestra, pietatis pignus. Detis, hamillimus oro qua-
soque, hoc favori summo, quod in ære vestro to-
tus licet constitutus, non nisi preces arma-
tas in vicem redhostimenti, reponam. Probe-
nostis, mea, inter maximas fortuna valetudinis-
que vicissitudines, talia semper fuisse fata, qua-
lia utroque parente orbati, & juxta pau-
pertatis onere pressi experiri necessem ha-
bent. Vestrum igitur, nisi, supremo disponente Nu-
mine, in re tenui mea præsto fuisset admiculum:
VOS, nisi benefacta benefactis cumulavissetis per
longum illud tempus, quo clientela magna VE-
STRA memet dignati estis, partim neque inidonea-
um memet existimatis, quem institutioni fili-
orum VETRORUM adinoveretis, certe emergendi
spe omni penitus excidisem. Vivite itaque MÆCE.

NA:

NATES maximis in patria emolumentum, in
literarum praesidium, Vestrorumque omnium solari-
um dulcissimum quam diutissime superstites.
Vivite denique in Clientum Vestrorum patro-
cinium exoptatisimum, genere felicaris omni-
quantum satis fuerit, cumulati.

SUMMORUM NOMINUM VESTRORUM

institutum ad hoc ut in statuaria & scilicet iudiciorum aci. 1111.

*Ex parte plimissitrum blescum gibberis
et de plimissitum sibi plimissitrum gibberis*

τελείαν οὐ ποιεῖται. Τούτη δέ τοι είναι η μάχη.

Сахар бутылочный

GABRIEL TALPO.

DISSERTATIONIS SCHEMA

- PARAGR. I. De fidelium precibus armatis, earumque in sacris usu.
- §. II. De precum harum apud gentiles religione.
- §. III. Precum, quae nostra considerationis sunt, definitiones & divisionem tradit; easdemque sub diversis nominibus, jam olim usitatibus fuisse perhibet.
- §. IV. & V. Curia romane pro instrumento dominationis prævehendae servisse refert.
- §. VI. Nec non ceteris de ecclesia hominibus illius eri.
- §. VII. Preces Pontificum, quancum apud seculis Principes poterint.
- §. VIII. De precibus publice & priuatis in ecclesia armari solitis, agit.
- §. IX. & X. Turbatis temporibus, quia illarum in civitate usus esse soleat, regum & civium Scandianorum exemplo probat.
- §. XI. De principum iure primiarum precum disqvirit.
- §. XII. Præbatim, quam solerter viri atque femine arma istib[us] vibrare soleant, explicat.
- §. XIII. Armatae mulierē neque Vaticanum JOVEM resistere potuisse, Olympiae Maiaachine sub exemplo probat.
- §. XIV. In republica priuatum plurimi, dominus & civibus, aemorum genere isto, multum negotii facessere solent.
- §. XV. De precum armatarum moralitate differit, & dum tractationi colophonem imponit.

GABRIEL TALPQ.

§. I.

NE ad tedium & nauseam, idque præter rem nostram, evolutioni vocum, quæ in frontispicio dissertationis comparent, immorari videamus; sufficiat verbo saltem indicasse, tironem latinæ lingvæ omnem, qui vel primis labris nomenclatorem aliquem libaverit, quid *preces* & *arma* importent, penitus & omnino edidicisse, ideamque rerum multo diversissimarum animis hominum excitare utrumque vocabulum, quounque demum modo facta fuerit combinatarum cum iisdem signis, repræsentatio rerum. Ne igitur in re inani & frivola argutari velle videamus, ad evolvendam utriusque vocis homonymiam statim devolvimus; idque eam ob caussam imprimis, ne forte quis existimet imprælentiuarum nosmet ex alienis fontibus arva irrigare velle nostra, falcemque in alienam, quod dicitur, messem immittere. Occurrit scilicet *precum armatarum* non in civili modo sed & ecclesiastico toro, freqvens & cerebra mentio. Cumque polliceatur rubrum dissertationis generalem quandam istius argumenti tractationem, diversa genera

nera ejusmodi *preciam* recensere, & quæ hujus loci non sunt, removere, ab instituto non erit alienum. Et quidem primum, quid in foro *theologico* dictum velint preces armatæ dicendum. De ecclesia fidelium notum est, quod qui *την πιστιν καὶ αληθινὰ* (α) DEUM cœlestem patrem suum adorant, & spiritu gratiæ impulsi, ardore & opere, quo fieri potest maximo, cœli mœnia quatiant, Deique misericordiam expugnare satagunt, eorum alta vis & operi aptatum robur, *armorum* nomine veniat; immo ad pervincendum corruptelas seculi hujus, ejusque principatibus terrorem incutendum, tantundem valeat, quantum ad pacem & securitatem terreno hosti extorquendam, in justam militiam armatæ civium cohortes atque legiones proficere soleant. Loqvuntur de militia & armorum genere isto vates faci non obscure multis Scripturæ locis; piisque ad declinandas *spirituales* in *cœlestibus* *versutias*, immo ipsam quoque iræ divinæ obstinationem mitigandam, iidem quam særissime usui esse solere, testantur. De virtute & efficacia posterioris generis *armorum*, protestat dictum Matthæi, de piis fidelibus pronuncians, quod per ipsos vim patiatur regnum *cœlorum*, iidemque sui peculii faciant atque possessionis. (β) Ad alterum spiritualis militiæ objectum, diabolum puta, & qui illius castra seqvuntur, turbam impiorum hominum, propter aditum ad regnum *cœlorum* nunquam non pugnam credentibus ciere solitam,

(α) Joh. IV. 23. (β) Matth. XI. 12.

7

tam, Paulus respexisse videtur; cum Ephesios suos adhortatur: ut aduersus regnum tenebrarum univeriam *DEI armaturam* induerent, præcipue vero *precibus* omni perseverantia, invigilarent. (γ) Nempe spiritualis luctæ militiæque eadem omnino fors est, qvæ hominum in terris belligerantium; ut quemadmodum recte animati & non *Jove* retrogrado nati, in medio furore hostem sæpe suum loco & statione propellere solent; ita qvi rem suam serio, pata piis *precibus*, Christiani egerint, illi neque difficulter portas inferni perrumpant, Deumque, ubi videtur iisdem conversus in crudelem, intra tam arctos limites constringant, ut ad spiritualem militem & Iraëlitam qnemicunque clamare necessum habeat: ut se dimittat, omnemque animi impetum & iracundiam effundere permittat. Quid multis? In *armatis precibus* hujus ordinis atque loci quantum positum sit, piissimorum in sacris bellatorum, regum atque ducum exempla plurima docent, quæ brevitatis causa prætero. Nostræ ætatis, ecclesiæ, gentisq; Principes neque ignorare, quid ad *arma* & in *armis* piæ preces possint, *GUSTAVI magni Sveithiæ regis* exemplum docet, quo proprius, eo etiam oculis magis arcte inhærens. De illo verò constat, quod cum *DEI* & religionis causam acturus in Germaniam concessisset, appulsi in ipso suo, bellatorem exercitum suum monuerit, pietatem in societatem *armorum* adscitam atque vocatam, eo rum omnem felicitatem abolvere; neque dexteris.

A 2

tati

(γ) Eph. VI. 13. seqq.

tati horum tantum, quantum piis precibus militan-
tium, annuere cœli favorem. (d)

(d) Loccen. històr. S. Gotb. libr. VIII p. m. 569.

§. II.

Fuerunt ista de precibus armatis & conditione illa-
rum, hominum judicia piorum, qui DEUM
intellexere &, qvo decet timore quoque, coluerunt.
Gentilium, quæ fuerit *armatarum precum religio*, per
transennam videre, a proposito neque alienum e-
rit. Etenim cum illi neque semet quidquam effi-
cere posse crederent sine adminiculo suorum Nu-
minum; inde ad conciliandam sibi illorum opem,
nullis non mediis & instrumentis eosdem quoque in-
stituisse legimus. *Deorum* opem unice implorabant,
ut mala averruncarent, commodaque iisdem lar-
girentur quæcunque, *XENOPHONTE* in *Symposiacis* te-
ste. Neque in alium finem *Trojani*, ut ceteras gen-
tes taceam, hostium repentina terrefacti adventu,
Jovem precibus suis conveniebant, quam quod il-
lius opis atque virtutis præsentiae plus considerent,
qvam lanceis & apparatuq; armorum univerlo
suo.

Jupiter, exclamant, precibus si flécteris ullis,
Adspice nos, hoc tantum; & si pietate meremur,
Da deinde auxilium, Pater, atque hec omnia firma. (a)

Sed non satis erat verbis saltem nuncupare vota
pro imperi & reipublica salute. Erant armatae pre-
ces eorum quoque. Altum vociferabant, gladiis
&

& spiculis, pro more gentis suæ, quicve semet incidebant, cumque surdas aures pullare non raro tædere eosdem inciperet, per vim non illi minus sua Numina in partes vocare & cogere adgressi fuerunt. Fuere *Romani* colendarum religionum magnificantia ceteris non inferiores gentibus. Pro felicitate & potentia civitatis suæ, genti in bellis natæ & educatæ *preces* & vota in *armis* nuncupare solemne erat. Præcipue verò cum alienigenis terris bella sua inferrent, DEOS regionis tutelares, nec non genios urbis primarios, militarem in modum, forti & excello animo evocasse leguntur. quin, execrationum pertinaciæ luæ tribuerunt etiam, qvod provocati Dii, cum simulacris suis, terras hostium identidem destituerint, & sua saltæ regione templo & sacrificia sibi fieri permiserint. (θ) Quid? ne de *Romanis* temere illud dictum quis existimet, quod Numina sua, vi adhibita compulerint ad pugnandum una secum contra hostes suos, de *Tyriis* ab *ALEXANDRO* obfessis idem legimus. Hi enim a levi quodam homuncione pervasi *Apollinem*, jam jam urbe excessisse suâ, & in hostium semet dereliquisse manus, omni amputata mora, metu ad deteriora credenda proni, aurea catena simulacrum devinciunt, & vinculum aræ *Herculis*, cuius Numini urbem dicaverant, hac inferunt spe atque cautione, ut quem sibi & genti suæ præsidem delegissent, & sacrificiis ætatem percoluisserint, urbe non excederet, cum ad sui tutamen ope prætentis illius

illius indigerent quam maxime. Horribiles
paganorum cœcitatatem & superstitionem detestamus,
miramurque gentes, alias prudentissimas, ex illa
luce unius veri DEI, a natura in cordibus hominum
accensâ, longe adeo usque deflectere potuisse. Cre-
aturæ, imo ne id quidem, sed umbræ illius saltem
eandem tribuunt potestatem, quam Creatori gens san-
cta tribuit, & quo bono consilio subnixa isthæc fu-
as vires explicare solet ad avertendam a se noxam
iræ divinæ, eodem temere illi quoque suos DEOS
in ordinem redigere posse sperant. Sed non unice
gentilium illa credulitas erat. bella & compedes
Diis suis Tyrii & Athenienses precantes interminati
sunt; ast cancellis non illi modo circumdedere divos
suos (*y*) & cum opis eorum indigentes essent, vi
subegere ad præstandum quidquid illorum interes-
se videretur. Quid a divis suis sibi fieri velint ponti-
ficii, quomodo jocularia quæcunque instruere, ad
sudorem & lacrymas usque colluctari cum statuis
ipsorum, & demum armorum genere eodem,
aut saltem cognato, versus eosdem insurge-
re soleant, cum votis illorum minus respon-
dere velint, qui de sanctis ecclesiæ illius eorumque
cultu scripsere, testes sunt locupletissimi. De pri-
mo vero genere precum armatarum remotive ista
dixisse sufficiant. Svatet argumentum, & quam quisq;
præsumit brevitas, ut ad illas, quæ nostri fori atque
tractationis sunt, preces proprius accedamus.

(a) Virgil. Lib. II. Eneid. v. 689.

(b) Jo. Chr. Clestel. antiquit. Germ. Sept. pag. 434.

(y) Curt., Lib. IV. Cap. III. v. 12.

§. III.

Gitur per *preces armatas*, qvæ nostræ impræsentiarum
 considerationis sunt, non alias intelligimus sive sup-
 plicationes, sive compellationes, qvam quæ præfami-
 ne quocunq; foris pio & honesto, ambiendi & haben-
 di conatum tegunt: intra finum vero metum
 atq;e necessitatem occultant, quibus, præter animi
 sentiam qvis ad arbitrium & observantiam volun-
 tatis alienæ, trahitur atque permovetur. Morem
 hunc petendi, & qvod habere velis, obtinendi, per
 multa retro secula invaluisse & titulis obtentui
 sumtis aliis atque aliis, sele exseruisse, nisi qui do-
 mi peregrinus & in omni historia hospes fuerit,
 nemo negabit. Solet autem quidquid precibus in-
 fit violenti & armorum vicem subit, vel aperte
 sele prodere per adjunctam cohortationem atque
 comminationem, vel latenter obrepere & quasi
 per posticum sele insinuare. Priori modo, id est
 simpliciter atq;e candide rem adgradienti, facilius
 quis resistere potest; de altero genere verò, quod
 de arte amandi, idem omnino judicandum censeo.
 Sicut illa, quo magis eandem quis teuste propinare
 & verbis velare prælumferit, eo ad concupiscendum
 homines, magis inflammat; ita qvo magis in hac
 arte animum quis in altitudinem abscondere possit,
 eo ad stringendum alterum, & consensum ipsi extor-
 quendum plus ponderis hujus preces habere
 sint censendæ. Aureæ ætatis homines, ab illa
 certe non longe remotos, scenam ad illum modum
 ador-

adornare perinde eductos tuisse, ignorare nos non
 sinunt acta temporum illorum. Nutibus agere cum
 inferioribus, magnæ fortunæ, illo neque tempore in-
 solens erat: & nisi tranquila potestate fierent,
 qvæ conjicienda erant, per vim metumqve res pa-
 lam geri cœpit. De *DIONYSIO* juniore in epistolis
PLATO ipse refert, (α) qvod cum ex Græcia
 in Siciliam sement venire vellet, non magis literariæ
 institutionis, quam moderationis in civitate rei-
 publicæ instituendæ intuitu, submissam placide ora-
 tionem primum subjucerit; cum vero mentem
 ejus de statu suo labefacere non posset occulta vis,
 precibus superbam mox adjunxerit *cohortatio-*
nem. Quid verò per cohortationem precibus adjun-
 etam indigitare voluerit, paucis intersectis Philo-
 sophus declarat, dicens: *αι τρεποντων δεσμοις μεριγματα α-*
παγκαλη εστιν, id est: preces tyrannorum necessitate permixtae
sunt. Id vero non præter rem, neque veritatem
PLATO. Etenim cum institutum discedendi tuum
 post paulo aperiret, repulsam & consilium de non
 dimitendo vicissim, qua arte occultaverit princeps,
 statim prodit, cum honoratoris & magis commo-
 dæ habitationis specie in vicinam arcem illum duci
 curaret, unde *nauta, non modo non prohibente illo, sed*
neque nisi subente atque mittente, hominem abducturus esset.
 Sequioribus seculis, qvibus, in locum teli, magis ma-
 gisque poliri cœpit lingva, mentis lue non sem-
 per fidus interpres, ratio agendi hæc ipsa, eadem-
 que falsitati proxima magis increbescere cœpit;

præ-

præfertim in republica, postquam pro fundamentali
in politicis régula *TIBERII* symbolum assūtum est,
& aliud spe, aliud specie simulationis ostentare pro
prudentia habetur. Igitur in civitatibus, qvo ma-
gis se diffundere cœpit mos ille, larvatum inceden-
di, eo machina hæc quoqve, vocem & silum ex ar-
te contorquendi, pluribus in usu gentibus esse cœ-
pit. Rationem, qvi semper fiat, ut potentiorum
prec̄s necessitatem induculo quasi nexu tecum in
consortio habeant, *PUBLIUS STRUS* non obſcu-
re docet, cum potentioribus resistere idem esse,
atque periculum sibi qværere docet, eoque fine co-
gere rogando, ait, *quisque roget, potentiores*. Illud vero
mimographi effatum Romanum, ne quadrare qvis
existimet in illam modo civitatem, *ZOSIMUM* ex
Græcis & quidem Constantiopolitana aula (cri-
ptorem allegare juvabit. Meminit etiam ille precum
hujus generis, nempe *armatarum*, cum *magistrorum*
illam cum humilioribus agendi rationem superiorum
appellat (*B*): *CICERONI* utrum græcus scriptor debe-
at vocabuli acumen illud, probe non scio. Id cer-
tum non in epistolis (*y*) solum ab ipso adhibitum,
sed & *TACITO* neq̄ ignorari ista animi in altitudinem
compositi insignia, cum prec̄s esse ait, quibus contra-
dici nequeat (*d*). Ne quid de *SVETONIO* dicam,
qvi tacitas easq̄ minaces efflagitationes pariter appellat (*s*). Hæreo in exemplis, & in quantum e-
odem referri queat Sveticum: Bedia enom med go-
do och ondo / aliis dispiciendum relinquo.

Dixi modo in civitate simulationis machinam
hanc ipsam, aliquando adornari posse sine fraude
atque peccato, præterim non carere illa posse, quibus
tota commissa sit res publica. Sed cum quæ per-
mittunt illi sibi, qui in civitate cum imperio sunt,
eadem vitæ generi suo convenire putant illorum
non pauci, qui res suas separatim habent, formam
barum precum considerare, & quam audaciam sibi
earum in rem suam adhibendarum publice priva-
timque facere soleant diversæ conditionis homines,
per transennam intueri animus est. Sint igitur
preces armate vel publicæ vel privatæ. Quæ vero
in luce orbis & urbis vertari amant, ad ordinem
politieum modo, nonnunquam etiam ecclesiasti-
cum spectare sunt censendæ.

(α) confer. Epist. Platon. VII.

(β) Lib. I.

(γ) Lib. IX. Epist. XV. ad Attic.

(δ) Hist. Lib. IV. Cap. XLVI. v. 10.

(ε) In vit. Titi Flav. Vesp. Cap. V: v. 3,

§. IV

IN sacrificiis non materiale aurum neque seculi arma
proficere, sed precum non improbam vim sal-
tem, ad expugnandam cœli arcem valere, iam an-
te diximus. Aliis itineribus qvicunque Olympum
perfringere, sibi alisqve viam ad cœlestia aperire
adgressi sint, illos armis suis obrutos & sepultos
fuisse, una cum sacrificiis profani contentiunt scripto-
res. Ast qvamvis prostant monumenta conatus

irri-

irriti illius, ad *arma carnalia* magis quam spiritua-
 lia tamen religiosorum mentes identidem respe-
 xisse, iisdemque non Jovem modo fulminis jacula-
 torem terrere aggressos fuisse, verum ad pingve-
 dinem terræ Principibus præripiendam, primum
 precibus fallere autos fuisse, mox minas regaliter ad-
 jecisse, tralatitium est. *REX* ipse *sacerorum*, post-
 quam universalem in omnes terræ partes affectare
 monarchiam & infinitarum gratiarum profusionem
 ad se solum spectare voluit, ut in bene meritos be-
 neficia erogandi occasionem haberet, revera autem,
 ut seculi principes opibus emungeret, blandam
 vim precibus crebro immisuisse, & cum ita non
 proficeret, lapides & fulmina ostentasse legitur.
JULIUS secundus, qui seculo ante reformatio-
 nem proximo sedidit, ut cæteros taceam, artem per-
 vincendi reges gnathonicam illam, ad ungvern cer-
 te percalluit. De illo enim legimus, quod ad de-
 merendum Galliæ regem, qui a partibus ejus sta-
 ret, *christianismi* elogium eidem in proprietatem non
 solum tribuerit, sed & carmina gratiarum agenda-
 rum in precatoria domo sua, pro obtinenda vi-
 toria quotidie cecinerit. postea vero quam apud Ra-
 vennam vinctus, suas in cassum preces tulas esse vi-
 deret, psalterium, nescio quo favidente genio, in
 ignem abjecerit; & cum nulla via victoriam cœlo
 semet extorquere posse videret, claves in Tiberim
 ignominiole abjecerit, & quam non sua virtute
PETRUS, eandem *PAULO* armigero, caussam semet

disceptaturum ipsum, edixerit (a). Plurima in reges, eademque obvia prostant ejusmodi à pontificibus servatæ piæ importunitatis exempla, qvorum ne nostram infrequentem ætatem esse, fallo sibi quis peruvadeat, cum veteri Roma, præsentem conferre juvabit, & quam perpetuo sibi similis sit, animadvertere. Nempe de VESPASIANO patre legimus, qvod ad accipiendum latum clavum convitio parentis magis quam precibus illius permoveri semet passus fuerit (b). De JOSEPHO Imperatore nuperimo itidem legimus, qvod cum Latii Pater ille CLEMENS reverentiam, qvalem expeteret, filio nullam precibus e blandiri posset, rebellis convitio & crepitantibus armis suis eundem mox persequi, non religioni sibi duxerit (γ). Pontificis modo memoriati utriusque, ut & precum utrinque adhibitarum vim & præsumptionem fuisse satis magnam quisque videt. Erat id ipsum, si quæ res alia, christianismo fucum facere, & sub prætextu religionis ambitum Zeli præpostorum turpissime proterre velle. Quantum verò inter τὸ θεοφάγειν JULII, a quo non multum distabat Clementina animositas; itemque JA COBI in lacris fidei πληροφορίαν intercedat discrimen, quantum intersit preces armatas ecclesiæ vere tales, & carmina cassa pontificum, perplexè nemo videt.

(a) Hubners politische frag, III. pag. 149.

(b) Sveton. lib. VIII. Cap. 2.

(γ) Jægers Hist. pol. & eccl. ad an. 1708. p. m. 251. seqq.

ATque ad illos non unius generis, neque simplicis formæ modos, versus *IMPERIUM* preces & *arma sua* pontifices adornasse leguntur. In negotiis ad ecclesiam pertinentibus inter homines suæ glebæ, fabulam eandem tutiore mendacio lusisse compertum est. De *sacerdotio* vero, ejusque ordinis in admittendis precibus pontificum promptitudine mira, tanto minus dubitandum, quanto certius constat hos totos à nutu eorum dependere, & spem suam omnem in corroboranda auctoritate eorum depositam habere. Nihil igitur prius aut antiquius hisdem in votis esse potest, quam ut ex expectationi præsulum suorum ex alse satisfaciant. Non cunctandum, neque somniculo se rem aggrediendam esse putant, cum pontificum auctoritati vel minimum, opera mancipe sua, addi posse curulum intelligunt. Causa est: quod capite salvo, salvam quoque videant corporis sui universam compagem: illo vero, motu quoque nutante, labefactari hæc quoque & ad ruinam inclinare incipiat. Interim quamvis de eo nunquam non perivasissimos hierarchas esse voluerint jura pontificum, quod *flamines* & *feciales* sui, suam versus sanctam sedem nunquam abjiciant neque relinquere queant obedientiam; accidisse tamen invenimus, ut neque nisi abdendo tenus suos, cum ipsis, ceu domesticis agere; precibus quam mandatis hos etiam sibi obstringere & obstrictos tenere consultum duxerint.

Atque

Atque inde *instanter rogitantibus* hisce, saepius cessisse
 tribules, precibusque obvolutæ auctoritati eorum, quam-
 vis invitissimos locum dedissemus legimus. In primis
 autem in collatione *beneficiorum*, intervenientibus
 pontificum precibus, ab ordinario conferendi mo-
 do procul discessum & extraordinarium plane in-
 tructum fuisse, manifestum est. Quoties enim
 pontifices bene de se meritos, aulæ puta ministeria
 sua, episcopis, & prælatis ceu *ordinariis collatoribus*,
instanter rogando commendarunt, ut his *primum va-*
cantia beneficia conferrent; toties hi, ad nutum
 pontificum *semet componentes*, eorum in collatione
beneficiorum coacti sunt habere rationem, quos,
 si pro arbitrio procedere licuisset, nunquam ad
 metendum tam opimam messem, imo vix quidem
 ad spicilegium ejusdem forent admissuri. Inerat ab
 initio tanta non *vis precibus bisce*, ut non negligi
 pro lubitu possent ab *ordinariis collatoribus*. Assur-
 gente vero ad fastigium suum magis magisque
papismo, sensim & pedetentim factum fuit, ut di-
 sponenti bonorum, cœlestium & terestrium beneficio-
 rum, modestissime deprecanti, rem aliquam dene-
 gare, homines sive ad ecclesiā sive rem publicam per-
 tinerent, in universū religionisibi duxerint. Scenam ex
 arte illam cum pontifice suo Clerus ad teculum usque
 duodecimum prolequebatur. Illo vero currente,
 quid in sinu Papa gereret, porrectiore vultu, qua-
 si in forum apertissime dedit. Ante illud tempus
 per *preces*, non nisi modestissime servientibus usita-
 tas

tas, eos, qui ad curam suam indulgentiamque
 pertinerent commendare solebat. Liqvet id abun-
 de satis ex HADRIANI Papae quarti (cum in Swe-
 thiā moraretur, NICOLAI Albanensis nomine clari) e-
 pistola XIII. ad episcopum Parisensem missā: in qua
 attentius eundem rogat, pro beati PETRI & suarum re-
 verentia literarum, per sonne honorem, qui in illius ecclesia
 primum vacaret, concederet, ut & ipse suas sibi preces sen-
 tiret fructuosas fuisse; imo de PRECLUM admissione suarum
 episcopo denique exsolvere posset debitas gratiarum actiones.
 (a). Non adhuc mandabat, sed orabat pontifex:
 non auctoritatem, sed precum suarum admissionem
 urgebat. Sed aderant non procul tempora illa, qvi
 bus, mutatā scenā, larvam Roma poluit, & in
 perfectam obligationem qvæ pridem tuerat, grati-
 arum actio transtundi cœpit. Arcanum dominatio-
 nis palam prodiit, precibusque faces atque arma ad-
 jecta tuerunt; ita ut mandando rogaret, & execu-
 tores constitueret, qvi ordinarios collatores, si qvos
 reluctantes viderent, ea, qva conveniens esset, vi
 adhibita, ad admittendum preces suas permoverent.
 Ad illum vero modum preces in mandatum degene-
 rasse, ex literis ad abbatem S. Remigii ALEXANDRI
 III:ii, qvi post Adrianum proximè sedidit, ad un-
 guem apparet: qvibus devotionem illius attentius mo-
 net atque MANDAT. ut Clerico suo Clienti, amoris divini
 intuitu, præque reverentia B. PETRI & sua, aliquod benefi-
 cium ecclesiasticum sibi competens, liberaliter provideret.
 Scilicet, ut cetera omnia, a tenuissimus initis ad
 justum

justum robur suum, minutis auctibus ascendere solent; ita precibus hisce pontificum non simul, sed perdetentim & quasi per scalas eundo, sua nervorum vis atque membrorum firmamenta accesserunt. Seculo vero XIII. factum fuit, ut non ambitus turpitudini sue, fallam & fucatam speciem prætenderent amplius, sed ad vim moliendam animis intenti esse inciperent: præcipue vero cum ordinariis beneficiorum Collatoribus monitorias suas primum, inde preceptorias & denique executorias, ordine, mitterent preces. Qvo qvidem ausu an ad terrendum & vi laceſſendum, institutum magis aliud comparatum dici queat, non temere dubito (β).

(α) Verba sunt Natal. Alexandr. a Boehmero allegata Jur Ecclesiast. Lib. III. titul. V. §. 99. pag. 338.

(β) Boehm. l. cit. p. 339.

§. VI.

Sed non hisce, puta sacrorum arbitris atq; regni Christi vicariis solum, eorumque libidini explendæ, preces armata scilicet convenient: sunt eorum, infinito numero, ordinum, qui ad familiam pontificis pertinent, artium & studiorum status sui, æmuli multi, multi consecranei. Dicimus in proverbio: Discere solere bovem minorem arare a majori. In republica, & qvidem præcipue ecclesia, si quam delirandi anſam & arbitrium sibi sumunt populi seniores, ceu exemplum imitationi sibi proditum non cunctanter arripiunt juniores. In Papæ ecclesia æmulationem cum superioribus eandem, tanto magis secu-

securè & aperte ingredi qvisqve potest, qvanto larvis & involucris omnis apud illos religio tegitur, inqve suorum tracrum inqvinamentis, nedum peccatillis glebæ suæ, frontem nunquam non remittere soleant pontifices. Sic de illis non *carnis* sed *spiritus*, prout audire volunt, filiis constat, qvod data porta muneric cujuslibet ambiendi atque prensandi, eorum non rarerter quæstui preces prostare soleant. *Cohabitat necessitati proxima pietatis tarua:* præleitum vero plebis animos superstitionis vanitate sua, fascinare ipsis pronum & in promtu esse solere novimus. Est non ignota impostorum natio *Cingarorum*, incantationibus suis agresti turbæ imminens, & ex eadem spolia agere, qvam maxime intenta. Eosdem qvocunqve modo violare, illæ nefas putat, ne preces & arma & diras execrationum illorum in se arcessant. Vendit non aliter gens *sæcta*, de qua in præsentia nosmet, suos quoqve fumos atqve imposturas. *Crucem* circumferunt & sub illo signo, malorum geniorum & morborum, in præsens & futurum, averruncatores se fidissimos jactitant: certe eorum, ex *Laicis* religionem vix centesimus qvisqve evadere potest. Imprimis vero in ægrotantes arma sua impigre strin gere solent. Illis carmina magica sua obmurmare & sub spe factâ eliciendi animas eorum ex inferno, oculum alterum, si non manum in crumenam ejus, cujus res agitur, extenut habent, neqve præstigiarum harum ulla eosdem conscientia tangit.

Mislarum vero solemnia, confessiones, unctiones & reliqua piarum frandum condimenta quid sunt qvæso! nisi *preces armatae*, qvibus simpliciorum mentes usqve adeo infatuare solent, ut familiam bonis omnibus multi carere malint, qvam næniis istis rite non parentari animæ suæ. De cetero *dire* & *preces* illæ, qvibus ex solemnni formula (*a*) in papatu personæ & terræ identidem subjiciuntur maledictis, quid nisi *arma* sunt ecclesiæ & tetricæ disciplinæ illius vincula, queis illigari facillimum: iisdem vero levari liberariqve divina lege nulla, neqve humana, nisi pontificis edicto solius, mortaliū quisqvam potest. *Preces* autem *armatas* id est virgulâ ferreâ inclusas nemo derogabit prælatis (*non de nihilo*) ævi illius, qui civiles & posthumos effectus cogitaverit, qvibus se pedetentim investit *excommunicatio*, postqvam ab *OTTONIBUS* (*B*) terri & armorum jura obtinuissent episcopi. Quam verò ab illo tempore gladii ore ad præliandum magis, qvam gladio *oris* ad prædicandum iidem usi fuerint, omnes noverint; & si quis dubitat, in fidem dictorum consulere potest epistolas & *preces*, quibus affectuosissime scriptis ad non relinqendum rubiginis arma sua, in peculiari *FILII DEI* bello, reges gentium, etiam Sveo-Gothicarum olim permovere aggressos fuisse, constat (*y*).

(*a*) confer Spiegels bewijs til *Sw. Kyrk: Histor:* p. 131.

(*B*) Dieter. *imperatt. Germ.* H. Aug. *OTTO magn.*

(*y*) *dissert. de Olavo S. Norv. rege* pag. 39.

§. VII.

Extra eleas vagatos, & ad reges & principesque itidem ambitum & insatiabiles manus suas pontifices porrexisse, vel ab exemplo unico illo recens allato liqvet: cui si institutum ferret, pleno sacco plura adjicere possemus. Postquam enim eosdem, puta principes, ad sua flagra traxissent & religione vanâ sua, satis ante delibutas mentes eorum eo perduxissent, ut qvem parentibus suis morem gerere liberi debeant, eundem spirituali patri & universæ domui ejus, hi quoqve deterrent, sensim progredivendo effectum fuit, ut velatam honestis non minibus abominationem pontificiam illi quoqve admirerint, eidemqve penes se locum non inviti reliquerint. Neqve enim decreta & canones & constitutiones, numero infinitas solum, qvas pro divinis venditabant, tanquam parentes, filiis præscribere, verum citissimam obsequendi promptitudinem insuper iisdem extorquere ausi sunt. Et demum, quæd precibus & pollicitationibus obtinere non potuere, id minis & execrationibus suopte nutu ipsi, ceterive sacrorum archontes, ad dictaturam libidinis immensæ suæ, expresserunt, extorserunt. Pluribus, quam quæ jam ante adduximus, exemplis probare problematis asserti hujus veritatem non est opus. In summa: preces servitii divini excellentissimam speciem esse: & orare scire, scientiam maxime necessariam SENECA dixit, cum in ceteris ignoratio plus sape prospicit, quam scientia. De precibus cleri papi-

zantis, qvam speciem & sc̄opum habeant; utrum ad scientiam omnium maximam referendæ sint, non ego judico. Id sc̄io, armatus, supplices, & ministri esse solere, (a) & quantum ad impetrandum posthumam pœnarum indulgentiam, puta potestatis plenitudinem, apud ipsos proficere videri poterint: tantum ignorantem superstitionis illius, diversæ religionis sectatoribus ad investigandum illud unice necessarium ului fuisse, & in posterum etiam profectui fore.

(a) conferri meretur bulla Clementis papæ XI; ad Imperatorem Josephum directa, cuius jam ante mentionem fecimus §. 4.

§. VIII.

DE precibns ECCLESIE armatis, earumqve in illo cœtu magna cum præsumtione institutis ludis atqve choragiis, ista dicta sunt. In ecclesia an vero republica prius ulu venerint, anceps qvæstio est: in qua enodanda frustra omnis collocabitur industria, qvamdiu de sacro & civili imperio non constat adhuc, qvodnam horum prius ceperit. Interim, si pro vero illud sit habendum, qvod necesse sit cogitanter, celeriter & mature magis incipiat, qvod ad finem, & fastigium prius accedit, de auræ captandæ solertiâ hac ipsa, ceterisqve superstitionis præstigiis nemo dubitat, qvin sicut ad apicem operis sui multo ante pervenire architecti sacri, qvam civilis imperii, ita ad assequendum scopum suum, mangonium & mandragoræ poculum hoc ipsum priores illi qvoque adhi-

adhibuerint. Id interim, machinamentis penitus
visis illis, qvibus ursit opus suum qvisque, facile
patet, ultro citroqve manus sibi invicem scalpis-
se, & postqvam operi curatus instare cœpit civi-
tas, artes & calliditates, qvas in ecclesia valere
diximus, non infelici æmulatione expressisse. In
illa vero similitudine, cūm dissimilitudo, passim
& ubique interveniat, qvomodo homines laici &
politici preces suas armare, iidemque sub specie favo-
ris & amoris, nonnunquam etiam juris, sua ad
capiendum retia occultare soleant, dispiciendum.
Id vero qvoniam & publice & privatim itidem fieri
soleat, de illis precibus, qvæ palam populo, sese
exerunt, nec non honestis nominibus, qvibus illæ
sese venditare solent, primo agendum. Qvisquis
autem politicarum earumque publice armatarum pre-
cum mentionem injici audiverit, eundem neque
difficili conjectura assequi posse speramus, qvod id
genus precum personis, qvarum cum republicâ ra-
tiones sint conjunctæ, apprime conveniat. Eiusmo-
di personam rerum domini, principes & imperato-
res suprema potestate sustinent. Iisdem, si qvæ
precum larva vel inter se invicem, vel cum civi-
bus suis aliquando, pro ratione status atque cir-
cumstantiarum, agere visum fuerit, id ipsum ita
comparatum esse novimus, ut necessitatem mora-
lem eandemque physicæ æmulam secum non ra-
ro conjunctam habeat. Habent illi neminem in
terris superiorum, qui per modum juris, suum cui-
que

que asserere aut decernere possit: cumque habeatur
 in illo statu etiam stolidum atque durum per vul-
 nera obtinere velle, quæ tranquilla ratio-
 ne haberi poterint, sub specie orantium, vim oc-
 cultare multis saepe solemne esse solet. Abdunt a-
 nimi secreta blandis verbis, & tub amicitiae involu-
 cro obstatu perrumpunt, taltem perrumpere fa-
 tagunt, quæ illorum, ad obtinendum id quod in-
 tendunt, impetum sufflaminare videri poterint.
 Loquuntur de conditæ in altitudinem modestiæ
 & humanitatis imagine hac ipsa, non antiqua mo-
 do, verum etiam recentiora historiarum monu-
 menta. Coactæ frontis scenam, principum alios
 diutius sustinere: alios laxatâ casside, vultus suos
 statim exeruisse legimus. Inter illos veteris ævi
 heroas, qui magis promte & aperte negotium su-
 um expedivere, *Q. FABIUS* maximus eminet,
 qui cum querelis nullis, neque consiliis penes Car-
 thaginienses rem mandatam disceptari posse videret,
 quæ in sinu gestaret, arma excussisse, & bellum
 an vero pacem mallent, eligere jusisse perhibetur.
 Ne de *IVARO* *BLEA*/ purpuratorum gentis nostræ
 principe quid memorem, quem stili & armorum,
 imo verborum promptitudine eadem etiam, gentis
 nostræ proregi *BIRGERO* in eligendo rege assensum
 non difficulter extorsisse novimus. In recentioris
 autem ævi historia tot politicarum precum arma-
 tarum, earumque publicarum exempla passim ob-
 via sunt, ut iis recentiendis nulla plurium nedum
 no-

nōstra unius sufficiat industria. Quid enim magis
usu inter civitatum rectores receptum, qvam ut
tertius, ubi inter se modò duæ pluresve civitates
dissideant, modo civibus non conveniat cum pri-
cipe suo (*a*), operam interponat suam, & inter-
cessionis interventu publicæ suæ, rem eo perduce-
re studeat, ut de re difceptata inter dissidentes au-
spicatò conveniat. Taliū intercessionum publi-
ce factarum naturam & indolem, qvi paulo altius
consideraverit, *precum armatarum* lineamenta qvæ-
dam non e longinquo videbit, & ad easdem, pu-
ta preces non in cassum missas, qvæ suffragante
fortuna gesta tuerint, omnia referenda esse. Quod
si enim acciderit, ut pars superior, cuius est alteri
parti conditiones præscribere, non admiserit inter-
venientis tertii oblata officia, non sponsiones ne-
dum æqui justique representationes ab illo factas,
eo non raro rem redire solere novimus, ut qvæ
pro alieno periculo *deprecatorē* modo fœle obtulit
pars media, succumbentis alterutrius causam in se
fuscipliat, & ea armis confidere aggrediatur, qvæ
precum familiaritate nulla transfigi posse viderit.
Sed non civitatum rectores per *preces armatas* mu-
tuò & inter se invicem solum agunt; intra civita-
tem, freqvens usus & crebra mentio harum pre-
cum quoque occurrere solet, earumque vim &
efficaciam suo cum detimento an vero emolu-
mento illi in primis experiri, qvi vel fori litigiis
implicantur, vel in reipublicæ administrandæ par-

te aliqua aliis anteferri desiderant. Quas illi vias
ambitiose sectari sibi que munire soleant ad viti-
andam principis & populi, aut certe tribuzi illius
vocem, rerum ultro citroque gestarum commen-
tarii ubique fere testantur: præsertim vero illum
morem penes suam gentem taxant Romani scri-
ptores, qui operarum & supplicationum & suffra-
gationum artificia plurima prosequuntur, remedia-
que, quibus remedio majus crimen coerceri volue-
re patres, satis aperie produnt & patefaciunt.
Qui ambitus condemnabantur, in perpetuum ge-
rendi honoris impotentia mulctabantur, & qui pre-
cibus ad obtinendam spartam candidatis clientibus
suis servirent, eorum nullis non infamiae notis
pремebatur publica fraus. Sed non opprimebatur.
Imagines majorum precibus adiectæ: principum
virorum commendatitiae, & si minus illa profici-
ant, pecuniae inter illos, qui judiciorum & rerum
publicarum ministri sunt, in tempore distribu-
tae, olim & hodie ad per vincendum & præcurren-
dum iis, quibus cum certatur, plus læpe valent,
quam cataphractis legionibus depugnata quæ-
cunque belli alea. Exactam status hodierni, in
rebus publicis bene multis, imaginem, qui degene-
ris Romæ mores intimius contemplatus fuerit,
se videre fatebitur, & spem lucri ad hebetandum
mentis & armorum aciem, quam carmina magi-
ca quæcunque, plus efficere posse, experientia do-
cet; exemplo illarum in primis civitatum, in qui-
bus.

bus palam venalia prostant munera publica; utque auri messis opima fisco regis accrebat, ex illius suffragio & commendatione, munia non aliis honoratissima quæque conferuntur, quam qui copiis ad largiendum instructissimi fuerint. In illis precibus atque votis, armati multum, imo fraudis atque doli plurimum etiam obrepere, omnis homo videt: & ubi non aliis, quam talis habetur respectus personarum, ibi justis præmiis fraudari cives digniores: inibi ad infolescendum, ad circumveniendum, prostituendam, flagellendam, verbo: ad pesum dedendam rempublicam vergere & adtemperari omnia, notissimo notius est. In aliis civitatibus illum hodie, usu magis quam jure aliquo, morem inoleuisse novimus, ut qui modo in foro contrariis signis invicem semet invadere coepерunt, nunc gradatim cum aliis in republica ascendere detrectant, codicillis suis illi principum gratiae adrepere soleant, iisdemque commendatitias identidem exorare ad fori senatum, interdum ut faventiorum eundem in terminandis litigiis suis experiantur: magis crebro autem ut suffragantis collegii favorem, cum aliis eundem, si non potiorem experiantur in prenseundo munere civitatis honoriore aliquo. Apud omnes gentes virtutis præmium esse honores, eoque fine civium cunctis, si bonis artibus fidant, licitum esse, ut magistratum petere, ita preces etiam votaque sua ad principem dirigere, quis unquam negaverit? id interim ob-

servare licebit, preces hujus generis armatis principum ad cauponandum in foro atque republica, multis usui & in vicem instrumenti serviisse. Nostræ civitatis legibus non tolerantur, neqve a principe expediri solent aliae, quam quæ bene meritis favent. & si qui astu magis quam virtute rem suam agere studeant, ab illis expungendis, aut certe non nisi meritis eorum convenienter tractandis, neutrum quam impediri eos, quibus competit dignoscere & dijudicare ambientium quorumcunque merita, forma regiminis ipsa, collata cum edictis non unius ævi principum, haud obscure docet (β). Diversis autem casibus atque temporibus, ubi *majestas* in planum submittere culmen suum, & obtestationibus cum civibus agere incipiat, non magis aliud intendi ferri videmus, quam ut opum conditoria illorum perlevi momento aperiatur. Sceptrum vero ubi ad preces & cetera familiaritatis officia suum demiserit illa, quam fasces & secures ad ea, quæ lors tulerit experiunda, pietatem civium magis inflammare, nostratum exemplo regum atque herorum, non simplici vice constat.

(a) Cum paulo ante ordini protestantium in urbe Turenensi non bene conveniret cum patribus Jesuitarum, & ad vim parti innocentis inferendam res spectare inciperet, pacis Olivensis sponsores atque fidejussores Senatus populiique Polonici zeli fervorem, precibus armatis, sed calamo expressis solum, mitigare & pervincere aggressos fuisse constat.

(β) conferens legislatorii Svethei, cum commentario P. Abramsonii (in 4:to) pag. 231.

27

§. IX.

ATque hæ quidem armate preces illæ sunt, qvas
tranqillo reipublicæ statu, sub miti principe,
eodemque morborum status sui paciente, qvies im-
periosa non ægrè neqve inutiliter urgere solet. De
illis, qvæ turbatis reipublicæ temporibus, identidem
usu venire solent, paucis insuper dispiciendum.
Ubi inter cives concordia gliscit, inqve principem
voluntates omnium propendent, modestiam &
auctoritatem deprecantium vincere non difficulter in-
genia fervientium, modo audivimus. Ast ubi clan-
destina turbandæ civitatis consilia fervere incipiunt,
non imperii modum principes, neqve libertatis ser-
vandæ viam certam tenere cives noverint, pre-
cibus *armatis* non amplius simulatis, sed cum indig-
natione conjunctis itidem suam caussam, idqve sa-
tis aperte, utramqve partem munire solere, omnis
ævi testis est historia. Sic cum militum suorum
audaciam alacritatemqve oratione luculenta inflam-
mare aggrederetur *ALEXANDER*: illi vero exantla-
ta haetenus infesta omnia perpendentes, nil nisi
surdas aures reponerent, *precibus* primum, mox
minis, ceu *armis*, obstinatum silentium eorum rum-
pere aggressum fuisse ex Curtio discimus (α),
Diris iteram suas preces *EUMENEM* armasse, cum
eundem, mortuo *Alexandro*, ducem suum vivum
vinclatumqve hosti traderent, *JUSTINUS* refert (β).

D 2

Ve-

Verum obsoletis illis & longinquis quid opus est,
 cum prostent in ipso Scandie nostræ sinu *CHRISTIANI, ERICI* & ceterorum exterorum exempla regum,
 qvibus cum *rebelles SUETHI*, iidemque præjudicio
 esse viderentur dominatui penes nos suomet instau-
 rando, sub specie boni publici, modo minis ter-
 rere eosdem, iterum blanditiis & precibus gentem
 demulcere sunt aggressi. De *ERICO Pomerano*, ejus-
 demq; materteræ *magnæ* appellationibus hujus gene-
 ris, acta publica temporum illorum, itemq; in *Scandicis*
 suis *Messenius* (γ) conferri possunt. *Christiano* idem
 instrumenti genus serviisse etiam ad pervincendam
 pervicaciam majorum, ut humiliiter servirent, ite-
 rum seqventis ævi tabulæ docent, ubi eosdem ma-
 jorem in modum monet & orat (fierlika bethet
 och högellige formaner) ut præstiti sacramenti me-
 mores esse vellent, odiisq; ve, qvibus diu flagrassent
 animi eorum, nuncium remitterent. cujus si non
 compos fieri posset voti lui, *Pape, Cesaris, Principum*
 & qvidem præcipue *Daniæ, Norgeiæ & Holsatiæ*
 suæ armis in subsidium voeatis, negotium omne
 penitus conficeret atq; vindicaret (eptet det wi
 tilbiunde alle åre och schielicheet / tha skal Gud ihet
 kenna med os / ther i högellige trenga os til / at wi worde
 tha nyde ther til / war Helge Fader Mafren / keisare och
 alle andrà Herre och förste / enkannerlige wore ålstelige
 troo wndersate i D. N. och H. och alle andre wij kunnå
 helst ther til falle och wethergiörit / som thet sich
 bôðr (δ). Atq; hæ sunt preces, qvibus civium
 suo.

suorum capita principes devovere solent, quoties adaman-
tiniis imperiis illorum hi cedere nolunt: & sal-
tem ex pacto æquilibrium quoddam majestatis &
libertatis utrinque servari postulant, desiderant.

(α) Curt. hist. IX. 2. 30.

(β) Justin. XIV. 4.

(γ) Messen Scord. III p. 36.

(δ) Hadorph Rümeronicus andr. deh. pag. 241.

§. X.

NULLAM a principe civitati injuriam fieri posse,
sicut non servo a domino suo, *HOBESII* de
cive paradoxon esse novi. quod postquam unica
ratione illâ refutavit *PUFENDORFIUS*, quod sit pars
utraqve, *persona* quædam; inter quam juris & æqui
communio existat, adeoque non ab aliquo dubita-
ri queat, quin præcepto *de fide servanda*, ab alteru-
tra parte violato, alteri injuria revera fiat; certe
cives Svetiæ ad cœlum & ad reges vix vota sua
temere direxisse sunt censendi, cum in terga co-
rum sœvirent Dani, ut initæ unionis societatisque
jura tuerentur; non ex sua libidine, sed quantum-
cumq; communi saluti prodesset, omnia moderarentur.
Spectat eodem regni Svetiæ ordinum ad *ERICUM*
Pomeranum facta declaratio: qua eundem regem su-
um humillime rogabant (hidom ððmūkelsig) ut
fidem pactis & legibus stipulata m ipsi, in posterum
non temeraret. qua justa spe sua si detraudare e-
osdem deinceps etiam præfumeret, exacto tempo-
re quadragesimali proximo, nullam in viribus civi-
tatis

tatis spem imperii repositam haberet (tha torfwin
taldrig thya til wart manskap eller tienist ápter fôrde
Fastegångs tidh) (a). Irritamentum evertendi im-
perii & juxta vindictæ accelerationem utrinque re-
præsentabant; & qui ad conditarum ab initio civi-
tatum caussas attendere vult, qvomodo non suam
sed populi rem agant civitatum rectores, certe non
negabit, spero, sacratis legibus iisdem, puta ob-
testationibus & armatis imprecationibus, qvibus
insistere sibi fas esse putant principes ad subjugan-
dam patriæ libertatem, iisdem perinde religiose
iplos, nempe cives, uti posse, ad jura sua in tuto
collocandum, cum dominatione principum iniquâ
non raro premuntur.

(a) de til Runicrönickerne hvrande bewijſ Hadorf.

collect. p. 105.

§. XI.

PReces & arma ad suæ glebæ sectæque homines
magna cum præsumtione validitatis atqve effi-
caciæ submisso olim pontifices: *principes autem ma-*
gis per ambages circumduxisse & in partes tra-
duxisse, modo diximus & exemplis qvoqve illustra-
vimus, scilicet speciosissimo proferendæ religionis
obtentu, revera vero ut monarchiam sacram suam
secure magis stabilirent, aditum sibi ad eosdem
non difficulter patefecerunt. Ante HENRICI quinti
imperium, magna libertate fruebatur Cæsar in be-
neficiis conferendis majoribus: sed qvam cum ami-
sissime se viderent successores per HENRICI resigna-
tio-

tionem, eosdem non solum pigere cœpit abdicati temere juris illius, verum qvam papæ commendatitium, eandem qvoq; suarum precum rationem haberi debere, collatores episcopos ceterosqve, hi neque instanter & serio minus admonuerunt. Vocatae fuerunt tabulae istæ preces, sed a curia romana, ne qvid ecclesiæ, ejusqve primatui, communio juris ista qvidqvam decerpere aut derogare velle videretur, prime vero preces cognominari meruerentur, qvod conferendæ vacantiæ jus ad Cæsarem primariò pertineat, & in vita non nisi lemel precibus istis in singulis ecclesiis, more paparum, uti soleant imperatores. Illas verò non temere, necq; precariò factas petitiones, verum armaturæ genere eodem omnino succinctas tuisse, non longe est videre ex RUDOLPHI Cæsaris, ceterorumqve literis, qvarum apud GOLDASTUM habetur exemplum; qvibus monetur collator, ut juris atqve antiquæ consuetudinis intuitu, nec non reverentia, qva sacro imperio obstrictus esset, de beneficio, personæ isti, qvam commendasset imperator, liberaliter providere studeret. Camerali aucupio suo, suiqve nominis in mundo unicitiati, quantum inde decederet, papa non longe propiciebat. Titulum curiole investigavit excludendi principem a participatione juris illius, sed non invenit. Igitur ne, qvod SENECA ait, gemens pateretur, qvod pati licuit bono, pro spirituali non vero civilis juris privilegio, praxin illam haberi voluit; cum non improbum neque iniqvum cuiusq;

quam videri possit, ut qui *consecrationis & unctionis*
 ejusdem cum papa consors sit, ad eundem *chara-*
ctoris indelebilis primiarum precum jus pertineat,
 ejusdemque, una cum sua curia, dispensandi pot-
 estatem habeat. Sophista ad eludendam necessita-
 tem, ubi nullus oppositioni locus, sat tempestive
 adhibitum, discrepans non multum ab usu, qui
 in illa ecclesia hodie quoque valeat imponendi one-
 rosis *præstationibus* aliis etiam, speciosa nomina,
 ne sacrorum monarchiæ suæ, & ad pristinas lauticias
 postliminio redeundi, *præsumtæ spei*, quidqvam detra-
 etum videatur. Id vero, quod ad armatarum precum
 genus publicum & politicum, de quo nunc agimus,
 adjiciendum, quod nostro ævo non imperatores so-
 lum, & sacra romana professi *rerum Domini* so-
 lis sibi jus illud vindicent, sed & *reformatæ religionis*
principes territoriali jure suo exerceant in suis ecclæ-
siis, veteræ instituto fundatis; quin, eorum vestigia
legant demum principes feminine, præcipue in capitul-
lis sexus feminini, quemadmodum reginæ Berussiæ
sub exemplo, præeunte BOEHMERO (a) illud pro-
batu facillimum est, si pateretur institutum.

(a) Boehmer de de iure eccles. protest. II. 3. 5. §. 104 sqq.
 quibus adde §. 112. ubi videbis Clementem pap. XI non
 valere voluisse preces ab imperatore factas, suo sine spe-
 ciali indultu. quid vero obtinuerit futuris ex pelvi
 suis papa, juris consultus magni nominis, adductis
 in medium ipsis literarum apographis justo commentario
 inscriptis, plus satis deser.

De precibus juris publici armatis, ista dicta sunt, qvas internoscere & a petitionibus precario fas est, qvoto gradu distent, observare facilius est, qvam speciosa nomina, quibus post amissa vera rerum vocabula, seculum hodie corruptit & corruptitur, rite discernere. Igitur qvomodo sine imperio privatim multi ad confundendam primum, mox pervincendam aliorum facilitatem, parili ingenio dexteritateqve hastas suas amentare soleant, insuper etiam dispiciendum. De principibuo feminis modo diximus, qvomodo armaturæ genere hoc ipso, per modum imperii, bono cum effectu uti soleant. Incredibile vero, qvantum privatim non ipsæ solum, sed & ceteræ conlectatrices aulæ in administranda republi-
ca, negotii facessere soleant iis, qui vel ipsi sedent ad clavum, vel ab iisdem proxime ablunt. Inte-
dit illa multis opinio, qvod, in modum ecclesie, sangvinem plane non sicut fexus ille, adeoque ejus humeris armorum gestamina parum apte conveniant. Verum qvam non tremenda manu arma gerant, præcipue in hac arenâ scienter eadem reciprocare calleant, veteris & recentioris ævi augustarum ex-
empla plurima docent, qvæ importunitate precum suarum, ad reverentiam majorem, qvam oportu-
erit, reges maritos suos saepiuscule devinxisse legun-
tur: ita ut non facile iisdein modo impotuerint, sed multoties etiam adegerint ad obsequendum sibi contra animi sui tententiam. Exempla ex sacris non
E

moveo *SPÆ*, *DELILÆ*, *HERODIADIS*, ceterarum, ex
qvibus constare potest, qvid ab ipso dimundi ortu
Veneres verticordiae hæ potuerint; qvomodo virtutem
heroicam *ip/sam* armis suis lacescere & ad lanificia
prope cogere non sint veritæ. Apud historiæ ci-
vili scriptores *OCTAVIUS AUGUSTUS*, qvo majorem
imperatorem vix vidit orbis, his privatim armis in
servitutem tractus, dolorem sibi primum, mox se-
culi convitum gloriæ suæ acceleravit (*a*) *JUSTI-
NIANO* imperante, qvomodo armorum genere eo-
dem implexum & prope oppressum fuerit romanum
imperium *JO. ZONARAS* & *PROCOPIUS C&S.* testes sunt.
Alibi qvomodo imperia versus aulicum beneficium
parum apte munita, inter strenua opera non ra-
ro perierint, regesque teli genere illo iicti, favo-
rem sui saepe in odium verterint, non est, ut ex-
empla longe arcessam, cum plura qvam vellem,
adsint in propatulo *CIMBRICA* *SEMIRAMIS* minis
subinde terrens & mox blanditiis demulcens, qvan-
tum præstiterit ad inclinandum colla Sveonum sub
jugo Danico, seqventis ævi tristis experientia docet
(*B*). *JOHANNIS* tertii Svetiæ regis, omni genere
laudis cūmulatissimi, cum hac exceptione menti-
onem faciunt annales gentis nostræ, qvod *conjugis*
pontificie blanditiis illectus, filium in illa religione
educaverit, ipseque non satis sibi constans, ad defe-
ctionem cives suos sollicitare aggressus fuerit (*y*).
Fuerunt illa exempla *reginarum* ad svadendum &
persvadendum deteriora, precibus & armis secre-

to expeditissimarum: Quid ad effeminandam ci-
vitateim, longa prece, leni illo tormento suo, priva-
tim graves domi matres efficere valeant, nescio an
manifestiore indicio probari potest, quam illis in *In-*
diam institutis longinquis nostri ævj navigationibus,
non alio magis fine, quam argillaceorum vasculorum
inde advehendorum causa. Quidquid occidentis re-
gio ultima gignit, oriente ultimo absorberi, mul-
tis est observatum. Quanto vero & quam grandi-
cum periculo, neque nisi publice privatimque ege-
sto omni reipublicæ gerendæ nervo, fætilia &
non nisi muliebria ista redimantur, deficiens mul-
tis in locis salus publica, ipsa testis est. Verum non
respiciunt epulares triumphos omnium vota mulie-
rum. Prostant animi non humilis exempla mul-
ta quoque lexus illius, armorumque ad asserendum
publicum & privatum decus tempestive & pru-
denter exhibitorum. quo vero rariora illa sunt,
tanto in illis recentendis brevioribus nunc quoque
nobis esse licebit. Saltem Svethiæ reginarum com-
plurium, M. ANTON: C. SABELLICUS meminit, quæ
ob eximias virtutes cum intellectuales, tum quo-
que morales orbis miraculum olim dici meruere (δ).
Et certe, si quæ de PHILIPPA, ERICI Pomerani conjugе
BENZELIUS (ε). & fragmentum historicum JOHAN-
NIS tertii regis, de MARGARETHA matre ejus tradit,
(ζ) attenderimus, (quæ in oculis oranium hærent,
clariora non moveo) quomodo, quæ vi injustè
diripuisset ERICUS, armis & artibus qvibuscunq;e
civibus ILLA restitui fecerit: HEC autem offendas, ne

ad regem deferrentur ejusque indignationem moverent, præoccupaverit; eundem turbidum placaverit, tristem solatio subveniret, iratum eundem mitigaverit, & proinde communis civium MATER appellata fuerit, heroinarum, publico bono armatarum miracula, nostra secula neque ignorare, promtum erit videre.

(*) Tacit, Annal. 1. 4. adde Sveton. cum comment.

Schildii, pag. 313. ubi Livia sacerdos dicitur mariis sui: idque elegium non alio nomine magis meruisse videatur, quam quod in principalium curarum partem se se intruserit, sacerdotum illius ut & seqvioris evi exemplo, qui in aulis principum scenam condens mira dexteritate legantur pro/equunt.

(β) Messen. Scord. III. pag 36.

(γ) Loecen, hist. Su. Goth lib. VII. p. m. 416. q

(δ) Peringköldii note in vitam Theodor. p. 507. p. 63

(ε) Benzel, Colleg. M. hist. Svetb.

(ζ) Nettelblads bibliotb. Sveo, erste Stück. pag. 53.

§. XIII.

Est illa in aulis principum privata felicitas an vero infelicitas armorum muliebrium. Visis illis oculorum doloribus, frigidus circum præcordia sangvis nusquam minus, quam in illis locis obsistere potest. Verum quod ad illam supernam sedem, quæ cœlibatus in ecclesia omnis fundamentum & exemplum est, JOVIS puta Vaticani, penetrare possint arma muliebria, non ego crederem, nisi constaret ulcisci quoque posse feminas, & PALLADI a JOVE fulmen suum clypeumque, una cum ægide

concessum fuisse. *OLYMPIAM MALDACHINAM*, plus quam virili ingenio, armatam feminam, in vinculis tenuisse animum *INNOCENTII pape X:mi*, nimioq; in neptem affectu suo, ingens famæ deliquium eundem passum fuisse, qvis non noverit? Dignitates & beneficia ecclesiæ quæcunque, ex illius natu, dispensabantur, interque poppysmos & blanditias, quibus cunque illa veller, papa confirmabat. In humilioribus curis, quam non deceat neque conveniat viris, vitam agere uxoribus obnoxiam, leges utriusque tabulae non uno in loco inculcant. Sed si de meribus dicendum, postquam illi leges in suam potestatem perduxere, etiam in privatis familiis, ad easas usque, artificii & proventus alicui illius exempla, infinito numero, se in oculos quotidie infundunt.

§. XIV.

Sed prostant in ecclesia & republica non feminarum multæ modo preces, ad emolliendum virile ingenium efficacissimæ. Veniunt valetudinario cum ipsis eodem plane compingendi ministri dominantes multi, qui sub blanda specie boni publici, officii atque religionis, principes circumveniunt, quæ sibi sunt indebita rerum arbitria præripiunt & vel conniventibus, vel plane non sentientibus iisdem, in se transmovent. Magnum regno detrimentum est, neque principi minus dedecus, si eodem quo ipse, summo loco, plares stabulentur reges, & quod a DEO uni creditum est, imperii pignus

pignus, idem distrahere alii & astu qvocunqve in se derivare præsumant. Id vero temper & ubique ferè, ubi *Apiani* regnant, obrepere solere status vi- tium, sub exemplo *PHILIPPI III.*, Hispaniarum regis, politici ætatis illius plurimi probant; apud quem acriter adeo suam aliorumqve caussam perorare scivit Lermæ dux, ut qvidqvad vellet ipse non difficulter obtineret: regi vero, pro aliis alterna vice deprecanti, clausas aures plerumqve pædago- gus minister accommodaret. Sed non respicit præjudicium nocendi idem regum palatia solum. Qvi timenda in regno auctoritate valent, si qvo in loco *privatum* sint apud cives suos, aliorum com- mendatione experiri volunt, quam non conciliis populi secretò milceri, ambire, & preces suas falsis nominibus involvere sæpe solent? Primis Cæsari- bus illum non ingratum, aut pro inhonesto ha- bitum fuisse morem, suo sub exemplo *TIBERII* prodidit, cum *Neroni GERMANICI* filio juventam vix ingresso *quaesturam* peteret & ambiret, istasque pre- ces suas patribus occulte intudendas propinaret (*a*). Qvi ditelcere volunt, & aureum vellus Colchos quæsitum abire detrectant, quibus non diverticulis blandis sed ambiguis, humiliores, si qui copiosiores sint, circumvenire solent? præsertim si talis inter utramqve partem relatio intercedat, ut spe devo- ratam ab altero substantiam, alter sine offensione negare non audeat. Sed quis, quæso! phalerata dicta & facta omnia in numerato habet, quibus lude-

Iudere & illudere alios solent terræ filii, cum la-
crum ambitioni suæ condere, aut ex re tenui aliena lacunam suam implere laborant? Qvomodo ve-
ro stratis hamî locis retia sua ad capturam explicare; qvibus armis suas illi sordes munire, & ne perpluant, obtegere soleant, *Ulysses Stolati*, cuius
modo mentionem fecimus, intercessio apud ponti-
ficem satis grandi pretio emta atqve vendita testis
est. (β) itemqve *AQUILUS* ille *REGULUS*, cui ex
arte scenam implenti *PLINIUS* in epistolis (γ)
larvam detraxit, cum de homine bipedum nequis-
simo testatur, qvod morientibus si locupletiores
essent, præsto adstiterit assiduo, caperatæ frontis
suæ nube lentitudineqve eosdem circumvenerit, ne-
que a lecto prius discesserit, qvam improbe capta-
to, prædictatoqve testamento familiam depilasset,
& *armis* ingeniosæ neqvitiæ istis, ex tenui & pau-
pere ad sacerdotium primum, mox consulatum &
deumini maximas opes, latissimum sibi aperuisset
campum. Id qvod eodem prope modo factum vi-
detur, qvo leqvioribus seculis latentium lucrorum
indagatores sagaces esse cœpere monachi, qui fidem
deblaterantes & laicis in aurem insurrantes, itidem
in DEUM impii suere & cum proximo perfide e-
gerunt. Sed de qvibus paulo ante. Verum *DO-
MITIANUM* ipsum, cui serviebat *Regulus*, neque
prorsus immunem fuisse ab eodem vitio, *TACITUS*
auctor est, qvi de locero suo dicit, qvod uxori
& filiæ piissimæ suæ cohæredem eundem scripserit

ma-

malum principem (δ). Scilicet metu armorum & sævitiae illorum, non a judicio hæc in principem benevolentia proficilcebatur. & quemadmodum parti cum lupis securius, quam totum ovile iis dilaniandum objicere: ita ad injuriam omnino propius spectare, quam abs beneficio proficiendi existimandum, si ad laienam inflammato pistrato & qui vestigiis illius ad impudentiam infistere solent aliis etiam, humiliter & deprese cives respondeant, metuque rapacitatis universorum, portionem aliquam iisdem obrudant armis suis a vellendam & in spoliarii rationes suas demum referendam.

(α) Tacitus annal. III. 29.

(β) Abbas Gualdi in hist. di Don. Olympiæ, mores fminee hujus, quam caput pape demulcerit, & ad inescandum illiciendumque universum Cardinalium collegium illustribus suis versatili & callido ingenio fuerit, pluribus exponit.

(γ) Armatae nequitiae hominis hujus, pluribus in epistolis mentionem facit Plinius.

(δ) Tacit. Agricol. Cap. 43.

§. XV.

NArrat de TIBERIO Tacitus, quod quæ in republi-
ca geri fierique voluit, colore quodam verbo-
rum referre solitus sit, eidemque in speciem quo-
que fides habita fuerit, non quasi non perlucerent
latebrae illius, sed saltem potentis violentiae metu. Quo-
modo non singuli, publice privatimque; non pauci,
iudicemque simplices & minores, sed cuiuslibet sexus

atque *laci* homines tegere naturam velisqve
 obtendere vultum suum soleant, ad circumponen-
 dum sibi dignitatis & vitæ copiolæ præsidia qvæ-
 cunqve, ex iis, qvæ breviter & strictim a nobis
 dicta sunt hactenus, qvodam modo dignosci posse
 speramus. De *justitia*, an vero *injustitia* moris illius,
 nempe *precibus* lese *armandi*, quoties in *commoda* tua
 alios qvis inducere velit, esset in fine differendi lo-
 cus amplissimus: sed cum angustiæ non unius ge-
 neris abs prolixiori thematis evolutione illius me
 exclulum velint, qvid de violentia dissimulata ista
 colendi & inescandi verecundiam aliorum: qvid de
 armis & inventis, qvibus pars altera, ~~πλύτερης~~ non
 raro illa qvoqve, eludere soleat *precantium ambages*,
 sit habendum, in breve & exiguum complicabo.
 De *simulatione* & *dissimulatione*, nec non utriusqve
 signis & schematibus non unius generis, in *tbesi*
 hodie qvid sentiant morum doctores, post dicessio-
 nem factam ab illo pristino scholaisticorum pa-
 trum mentis idolo, ignorare nemo potest. Suffici-
 at dixisse, *simulandi* & *dissimulandi*, hoc est, popu-
 lo & scenæ serviendi artificium hominibus, intra
 ecclesiam & extra Græciam, nullis non olim ulu
 invaluisse; neqve e confortio humano, hodie pro-
 scribi prius posse, qvam ex fæce Romuli homines
 nulli supersint amplius, væcordia atqve malitia
 humana in prudentiam & probitatem penitus
 conversa fuerit. Qvæ in republica eminent *prudentia*,
 eandem suam fæpe vultum mutare, semet ipsam,
 qva rebus, qva temporibus accommodare, & o-
 manes, pro ut res & necessitas poscit, formas in-

duere solere, usus ipse rerum docet. Idque non
 præter rationem fieri omnis fatebitur, qvi ad
 conficiendum illud stadium, si in quo alio vitæ ge-
 nere, varium & lubricum, serpentis prudentiam
 æqve ac columbæ simplicitatem in consilium adhi-
 bendam esse, non ignoraverit. Oportere, non ne-
 go, qvemlibet, cujuscunqve loci fuerit, fidem serva-
 re, honestatem atqve virtutem: illam recta procedere,
 & bono cum successu cultorem sui ad posteros &
 ad superos transmittere qvoqve, veteres dixerunt.
 Sed cum sit illud virtutis & honestatis vel præcipu-
 um munus, non instruere & perficere animum
 modo scientia rerum, sed in primis promovere o-
 mnium in singulis, & singulorum in omnibus
 salutem; inde neutquam ab invicem distrahi posse
 honestatem & utilitatem, utpote natura cohæren-
 tia, qvisqve videt; adeoqve qvidqvid conductit ne-
 cessitati finis, puta socialitatis, illius efficiendæ rei
 qvoqve jus esse in moralibus. Sunt, scio, qvi
 principi, & qvi eidem a consiliis sunt faltem, non
 denegatam volunt artem contingendi mentem ge-
 stibus atqve verbis, ceu velo qvodam: privatim vero
 compositam omnem fictamqve vitam, ceu pestem
 turpissimam vitari atqve haberi volunt, faltem in-
 stituto non alio, GROTHI commentatorum non ne-
 mo, nisi qvi spiritualiter mori velit, neminem ob conser-
 vationem vitæ corporalis, qvarvis innocentis, in
 errorem aliquem inducere debere, ex AUGUSTINO
 adstruit (a). Ast cui non publicam sed & pri-
 vatam vitæ humanæ œconomiam intueri volue-
 fuerit, qvomodo qvæ à destructione totius abherret
 natu-

natura, ad partium conservationem eandem legem extenlam quoque velit; eoque intuitu, quæ in statu civili universorum ratio est, illa in statu naturali singulos quoque relatio intercedat: is mentis humanæ affectionem hanc ipsam, simulandi putat dissimulandi que non universis, aut vicem eorum repræsentantibus solum, sed & singulis usui, non abusui: neque magis illam, quam cetera naturæ munera homini, cum primum existeret, gratis concessam existimabit. Scripsit in illam sententiam commodè magis cogitateque *SENECA*, cum *salva pietate*, inquit, frontem attemperare, virtutem non aliudere sed abscondere; potius se aptare, quam nutare hominis circumspecti & prudentis esse ait. Et demum, quemadmodum cedere tempori, vultumque larva obducere non dishonestum putamus, cum sine velo officium non præstare ipsi, neque inter nudos affectus, ad ea quæ sui muneris sint, alios adducere possumus: Ita ex adverso, si quæ in nostra potestate fuerint, nullo jure sed procaci & ambigua prece saltenti, prenante potentiorum quis aggressus fuerit, eidem per incerta & dubia vicissim, imo per ipsam veritatem, si fieri queat, imponi posse crediderim, ut immunitatibus & opibus nostris, si quæ sint, adversus tacite invadentium turbam, illa via, si ratio non datur alia, sua quodammodo secura maneat & non turbata possessio. Id vero cum non jure magis quam exemplo fieri certum sit, quomodo cum vulpibus vulpinari, insulares *ANDRII* edocti fuerint, agite, audiamus. Athenienses ab incolis non exiguum sibi pecuniae symbola fieri voluerunt, eoque fine *THEMISTOCLEM*

ad eosdem miserunt, expugnatum animos eorum; duorum Athenis familiarissimorum Numinum πενθω
 n̄ ηγι Ἀράγον, Σναδε, Necesitatisque religione auctoritate-
 que. Sed quid Andrii? Illi perspicentes dolum, do-
 lo repellebant; cumque penes se duas inopes deas
 illi quoque haberent: πενθην ηγι Αράγον, paupertatem &
 impotentiam, quid ad velificandum Atheniensium po-
 tentiae praestare ipsi possent, false monuerunt. Pro
 tribunali illud non temere, sed apposite a veneran-
 da antiquitate dictum prolatum puto. Sed promptum
 magis acuminatumqz PHARNABAZI factum erat, quo
 consperitas tuco LISANDRI preees & arma ille delusit
 & a se avertit (α) Mutuis fallaciis fabulam tuam u-
 trumqz egisse apparet; exprimitqz non intempestivè
 exemplum utrumque illud etiam, quo usque precibus
 obtundendi, & easdem iterum retundendi aliquis
 in genere morum locus esse possit. Nobis philosophia
 media illa, naturali cedens infirmitati, non illiberalis,
 nedum virtutis splendori qvidqvam detrahere vide-
 tur; cum qvæ ex porticu est, serenitatem sapienti-
 amque, irruente improviso necessitatis vi qvacunque,
 colorem & vultum mutaturam; neque nisi paucissi-
 mis illam a natura constantiam datam sciamqz, qm
 de ministris SVANT. SIVRII Svethiæ proregis prædicant
 nonnulli (γ) qvod

Securi in faciem casi neque connivere soliti fuerint.

(α) Ostend. in Gr. pag. 1346. (β) Corn. Nep. vit. Lysandri fin. (γ) Loccen. hister. Sv. Goth. lib. v. p. m. 179.

SOLI DEO GLORIA.

* * * *

Perquam reverende atque Clarissime

Domine CANDIDATE,

Fautor & Amice omnium optime.

Postquam animadverti TE denuo Heliconis aditum cun-
mina, defensum egregiam disputationem, quam de pre-
cibus armatis conscripsisti, mihi deesse non potui, quam-
quam temporis angustia prope exclusus, quin paucis TIBI
gratularer honores, qui in republica, ecclesiastica pariter ac-
que litoraria TE propediens exspectant. Amicitia illa sincera,
qua ab ineunabula nos intercessit, immo officia, quibus mi-
bi satis benigne fecisti, memet pietatis mea mutuae affiduo
admonent; quin, neque immemoris animi conditum facile
evitarem, si non Tuam in institutionis literarie magisterio
patientiam, moderationem & affiditatem debitissimis laudibus
prosequerer. Quare gratulor ego TIBI impensè eximias inge-
nii dotes, que TE ad preclara quavis nullo non tempore in-
citarunt; gratulor progressus in studiis insigne, apprimè ve-
ro exantatos, ad votum & animi sententiam TUAM, & eo-
mnium, qui TIBI bene cupiunt, labores academicos, simul-
que vobeo, ut honores Philosphici, in solenni Musarum
panegyri, TIBI propediem conferendi, cedant in nominis Di-
vini gloriam, Ecclesie DEI emolumentum, Tuorumque com-
modum, fulcrum & gaudium perenne. De cetero permaneo

Dab. Aboe die X. Calend. April.

A:0 1745.

TIBI addicissimus

CAROL. GUST. LEISTENIUS

F. D. M.

CHARLES MAGNUS SIBERCKEN

Monsieur, Mon Cher Ami,

Assez & trop long-tems j'ai gardé le silence,
Agréez que ma Muse accoure en diligence;
Pour Vous communiquer, cher objet de mes voeux,
Combien je prens de part à Vos succès heureux.
Noblement animé du désir de la gloire,
Vous entrez dans la Lice, où déjà la victoire
Vous attend, & je vois tout fraîchement le chemin,
Pour arriver au but d'un si vaste dessein.
Vous avez, je l'avoue, une ample carrière.
Votre entreprise est grande & grande la matière:
Mais aussi dans ce jour pour Vous si glorieux,
Vont naître sous Vos pas des lauriers en tous lieux.
Avec tout le respect d'un cœur tendre & sincère,
Je vous en félicite & qui plus est, j'espere
Que Vous serez un jour l'objet de mes chansons:
Et que pour Vous ma Lyre aura de nouveaux tons.
Acceptez, s'il Vous plaît, le généreux hommage,
Que ma Muse Vous rend par son tendre langage.
Je ne puis qu'admirer Vos progrès, Votre choix:
N' ayant pour Vous louer qu'une trop foible voix.
Je fais ce que je puis, & je voudrois mieux faire,
Mais si mon Apollon n'apras ce qui peut plaire,
Assez d'autres sans moi, témoins de vos vertus,
Leur donneront, je crois, des éloges bien dûs
Vous repondez, Monsieur, à la belle espérance,
Qui on concevoit de Vous selon toute apparence;
Heureux! qui comme Vous, Monsieur, Mon Cher Ami,
Remporte des savans le suffrage & l'appui
Continuez, s'il vous plaît, cette belle éloquence.
Montrez de plus en plus quelle est Votre science;
Et me croiez toujours, malgré les envieux,
Votre très humble enfin & très respectueux.

CHARLES MAGNUS SIERCKEN
le Jeune

Monsieur.

CHacun fait assez ce qu'on doit aux Précepteurs fidèles, si l'on considère l'utilité & l'excellence des études, où il est très difficile de faire des progrès sans le secours & l'instruction des autres. Or comme sans les arts libéraux personne ne peut avec bienfaisance entrer dans le commerce du monde, ni procurer en aucune manière l'avantage du Public, mais qu'au contraire en cherchant inconsidérément le souverain bien dans les choses corruptibles, on court insensiblement à sa perte ; ainsi il faut avouer, qu'on est redétable (pour ainsi dire) au Précepteur d'une seconde vie, qui est l'instruction comme de la vie naturelle à un Père. La pleine expérience, que j'ai faite du soin infatigable, que vous avez eu de mes études, me porte, Monsieur, à embrasser cette belle occasion de vous témoigner ma reconnaissance par les plus sincères félicitations. Recevez-les donc, Monsieur, pour votre solide érudition, qui, bienque prouvée auparavant par plusieurs puissantes raisons. Se manifeste encore par votre savante Dissertation. Je vous félicite des honneurs, que vous avez mérités il y a long-tems, digne récompense de votre intègre vertu. Je félicite encore vos amis & vos Parens de l'honneur peu commun, que vous leur faites. Et je me félicite enfin moi même d'avoir eu un Guide si éclairé dans mes études. Aureste je fais les vœux les plus ardents, pour qu'il plaise à ce Dieu Souverain favoriser vos honnêtes entreprises, & diriger toutes vos études à sa gloire. à votre propre avantage, & à votre entière félicité. Tels sont les souhaits de celui, qui est de tout son cœur.

Monsieur

Votre très-bumble serviteur
MARTIN JEAN WALLENIUS.

Gågne-Rim til Herr Auctoren.

Su jag af wördksamt sinn' i dessa forta rader/
Får wisa min respect, Herr Informator kär!
Mot all den ynnest I/ bewist mig som en Fader.
Ehr lärdom/wett/ förstånd/ jag högt erkänner här/
Och skattar lycklig mig/ det jag får gratulera,
Ehr vittra lärdoms wercf/ Ehr till sälheter fler/
Ehr goda namn til pris/ til heder och til åra /
För all den mōda fit/ I lagt i ungdom ner.
Hvad sälhet önskas kan/ beständigt ehr tilflyte/
beständig vålgång ehr/ til krop til lif och siål !
Min plikt at önska år/ Ehr heder aldrig trykte/
Ehr fröne Himlen sidst med ewigt godt och wähl!

JOEL. JACOB PETREJUS.

Corrigenda.

Pag. 2. lin. 12. pūctum, ceu superfluum deleatur. p. 3. l. 14 pro
qnemcunque lege quemcung. p. 15. l. ult. tenuissimis pro teo
nuissimis. p. 17. l. 25. obmurmurare pro obmurmare. p. 25. l.
11. flagellandam pro flagellendam. ead. p. l. 24. prenstando
pro prenſendo p. 26. l. 16. fere pro ferris p. 40. in not. secund.
l. 2. demulserit pro demulcerit. Reliqua si irrepferint, que
missiores B. L. exspectant consurant.